

CONFALONERIUS

ET PRIORES



INCLYTÆ TERRÆ MONTIS FANI

NOBILI VIRO DOMINICO MARCHIONI PINO PATRITIO AUXIM.

S. P. D.



Nicuique nostrum plane comperta est Familia tua dignitas, atque amplitudo: nemo enim omnium esse potest, qui nesciat, quot eximii illustresque Viri ab illa orti sint, qui præclarum sibi, suisque decus, & gloriam compararunt. Scimus, certissimisque monumentis edocti exploratum habemus ab illa, præter quamplures alios, prodidisse Virum gravissimum Philippum Pinum, qui anno 1452. ab Auximatibus Arci nostræ tuendæ fuit præpositus; ab illa Johannem Franciscum, qui anno 1492. ab Alexandro VI. Pont. Max. est Aësinæ Arci præfectus; ab illa Bernardinum eruditorum omnium judicio de literaria re præclare meritum, atque in deliciis habitum a Julio Roboreo Cardinali amplissimo, & Guidubaldo Urbinate Duce, a quo cum pluribus aliis honoribus, tum eorumdem Urbinate, ac Ducatus universi una cum posteris suis omnibus civitate donatus est; ab illa tandem Onuphrium strenuum Ducem, qui, Imperatore Ecclesiastici exercitus Thaddeo Barberino, stipendia meruit, & Onuphrium Juniores Balneoregii Episcopum: a quorum exemplis nihil ipse, fratresque tui abscedentes, id assecuti estis, ut potentissimus Poloniæ Rex Augustus II. Vos, familiamque Universam Marchionum titulo decorarit. Scimus præterea, quanta sit in Te rerum gerendarum experientia, quantus erga Cives tuos amor, quanta in utilitate reipub. promovenda, improboque etiam labore tuenda, atque firmando sollicitudo. Cum igitur id nobis potissimum propositum sit, ut felicitas publica, publicumque decus floreat in dies magis, optimorum, nobiliorumque Civium augendo numerum; comitiis de more habitis die 25. Iunii anni 1757: in nostrorum te, liberosque tuos, ac posteros omnes Consiliariorum ordinem cunctis suffragiis adscriptissimus, teque ipsum in renovatione Bussuli nostri Regiminis habitus die 4. Aprilis 1758. nostris Confaloneriis adnumeravimus. Itaque tibi has publice literas mittendas censuimus, quæ tibi communis in te nostræ existimationis voluntatisque argumento essent apud omnem posteritatem. Tuæ humanitatis erit hoc studii in te nostri testimonium, quo par est animo excipere; æquitatis autem hanc Rempub., cuius & ipse modo pars es, pro virili parte juvare, atque tueri.

Datum Montifani hac die XXX Aprilis. 1759.



Joseph Angelini I.V. Confalonerius
Franciscus Antonius Capitanus Alexandri Prior
Barnabas Compagnucci Prior

Matteo Capriani Secundus

Istituto Campana Osimo ®